

II. Semester

MDCCCLXXVII.

Scheffner

9827

De studio  
literarum Latinarum.

Omnes fere homines, qui probe exculti esse velint, literis Latinis studere, res est haud obscura. Lingua igitur Latina utilitates quasdam aut vias ad majorem rerum <sup>peritiam</sup> adferre videtur. Quocirca, rem, puto, non esse inutilem, omnes utilitates, quas literarum Latinarum studium praebet, referre, ut eo libentiores ac diligentiores animum linguae Latinae addiscendae adtendamus.

Ut vero de re minori loqui incipiam,  
tum

tum de rebus gravioribus gradatim explicem, primum hoc tantum moneo, multa esse vocabula, quae Germanice usurpentur, neque sine cognitione linguae Latinae bene intelligantur. Quid enim est, quod sit injucundius, quam, cum in circulis aliquid inter convivas seritur, ne nomina quidem scire rerum, de quibus disputetur: nam plurima, et artium, et scientiarum nomina, rerumque multarum aliarum vel e lingua Latina, vel e Graeca ducuntur. Nec non sunt multa vocabula, quae, licet haud raro Germanice usurpentur, tamen sint evitanda, quod

ea

ea aequae, ac lingua peregrina, vel interdum melius etiam, vernacula exprimere possimus: sed, ne plane rudes et inculti esse videamur, ea, etsi non utamur iis, saltem scire atque intelligere debemus.

Tum etiam, neque haec est res levissima, opera clarissimorum virorum, velut Livii, Ciceronis, Horatii multorumque aliorum legere possumus et intelligere: in quibus nobis summi viri exemplo sunt, quomodo vita agenda sit, animusque excolendus. Doctus et literarum studiosus operibus priscorum legendis magis delectatur, quam nebulo nutrimentis mitissimis

mis

nis et jucundissimis. Ita etiam Seneca in epistola quadam librorum lectionem veram appellat ingenii alimentum, quod tamen, si expectatam utilitatem praebet, ut in ventriculo cibi, concoquatur.

"Alimenta, inquit, quum ex eo, quod erant, mutata sunt, demum in vires et in sanguinem transcunt. Idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus. Concoquamus illa."

Aut quis meliorem potest literarum descriptionem dare, quam Cicero in quinto suo de finibus bonorum et malorum libro:

"Animi cultus, inquit, est quasi quidam humanitatis cibus."

Con-

Constat, summos scriptores, qui temporibus recentioribus exstiterint, praecipue auctoribus priscis, tam Latinis, quam Graecis, studuisse: qua etiam ex re judicari potest, horum in operibus vias quasdam ad doctrinam majorem cogitationesque optimas contineri. Quod idem nullus negabit, qui aliquantulum in literis profecit.

Ut tamen exempla nonnulla addulerim, pauca de notissimis Romanorum scriptoribus dicam. Horatium magis laudari posse non puto, quam cum Quintilianii verbis utor: "Inter Lyricos, inquit, solus fere dignus est legi Horatius, quoniam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis

tatis et gratiae, variisque verbis et figuris  
audax."

Nominetur omnium recentiorum aliquis,  
qui in componendis versibus pulchrisque  
cogitationibus Virgilium aequaverit. Ha-  
luit quidem, quorum vestigia sequi pos-  
set, uti satis constat, eum in Eclogis The-  
ocritum, in Georgicis vero Hesiodum, atque  
in Aeneide Homerum esse imitatum: quod  
tamen nihil ad minuendam ejus laudem  
confert, quia unus praestitit, id quod om-  
nes tres Graeci poetae praestiterant.

Ut vero etiam dicam, quis de oratione pe-  
destri optime meritus sit, neminem Cice-  
roni praeferre audeo. Hic enim summus  
et

et orator et philosophus existit, tantam-  
que sibi paravit laudem, ut nullus hisce  
in rebus ad animum excolendum majori  
nobis sit exemplo. Quid quaeris? de om-  
nibus fere scriptoribus priscis simile quod-  
dam dici potest. Quis nescit brevitatem  
Taciti? quis ignorat copiam Livii? quis  
non amat dicendi venustatem Plinii?  
Sed ne in laudibus celebrandis multus vi-  
dear, hoc satis sit.

Dicant forte aliqui bonas nobis esse versi-  
ones, quarum ope, quaecumque in priscis con-  
tineantur, noscere possimus: hinc nobis non  
opus esse, ut tantum temporis, tantamque  
curam ac diligentiam addiscendae linguae  
La-

Latinae impendamus. Sed qui sunt hi? —  
Quod, qui dicunt haud dubie rudes ac literarum  
expertes. Nam versiones in dies, quo ma-  
gis in literis proficimus, oratioque nostra ex-  
colitur, eo peiores fiunt, et quis post non-  
nulla secula, ubi linguam vernaculam  
plane mutatam fore puto, versiones, quae  
propter scribendi genus nec delectare possunt,  
nec faciles intellectu sunt, libens leget?

Nec minus ipsa lingua addiscenda, quod si  
subtiliter fit, animum exacuit: tam decli-  
nando et coniugando, quam investigando con-  
structionis ordine et resolutione, quam vocant.  
Et quo magis discipulus ipse animum in-  
tendit, ipse meditatur, ipse omnia quaerit,

eo magis animus ejus crescit. Quod si quis-  
piam, qui artem postea sequatur quan-  
dam, quae eum a studendo linguae Lati-  
nae prohibeat, omnem Latinitatem obli-  
viscatur, num is etiam intelligentia sua  
et iudicio privabitur?

Denique iuvenis, cujus animus legen-  
dis priscis excitatus, alitus, excultus,  
qui et ipse, cum interpretandis priscorum  
operibus, tum crebris exercitiis, accurata  
linguae peritia instructus, multo facilius  
omnes scientias, ad vitae usum pertinen-  
tes, addiscere potest. — Hae sunt uti-  
litates, quae ex studio literarum La-  
tinarum proficiscuntur. Jam partem

aggredimur alteram, quae docet, quomodo hoc studium sit instituendum.

Praecipue requiritur, ut discipulus iam initio regulas grammaticas cum omnibus exceptionibus discat. Neque audiendi sunt ii, qui dicunt, non opus esse, ut discipulus discendis regulis vexetur; hoc fieri posse usu atque legendo. Rem se non ita habere, iam ex eo intelligimus, quod multi, qui scriptorem, eumque difficilem, ita vertere possint, ut tamen explicare nesciant, reperiuntur. Praeterea, cum puer ex Latino in Germanicum vertere coepit, etiam ex Germanico in Latinum

tinum vertere debet. Qui non una et legendo et scribendo, atque adhibendis regulis grammaticis exercetur, is nunquam, etsi per multa legerit, dissertationem, vitis carentem, conscribere poterit. Nec non nobis usu probatum est, quicumque bonum facere possint exercitium, facilius quoque ex Latino Germanice vertere posse. Hinc sequitur, plus esse temporis exercitiis faciendis adhibendum, quam in scholis plurimis fieri solet.

Quaeritur adhuc, possitne lingua Latina, vernaculae instar, loquendo disci? Si res tantum spectat eo, ut Latine sciamus, nihil refert, quomodo hoc fiat: sin

vero

vero animus exacuendus est, cujus rei rationem maxime hic habere debemus, subtili quodam modo fieri debet. Denique discipulo ad Latinitatis castitatem et auctoritatem animus est attendendus, atque in ipso scribendo maxima adhibenda diligentia. Nihil quidem interest, utrum puer, qui modo aliquid Latine scribere coeperit, locutionibus, a prisca usurpatis, utatur, nec ne: sed cum primas difficultates vicit, et animum iam magis ad dicendi genus atque elegantiam, quam ad minores regulas grammaticas, attendere potest; tum etiam melius scribendi genus a peiori, enuntiationes, quibus aureae aetatis scriptores usi sunt, a recentioribus distinguere debet.

---

